

20
2.
Q. F. E. J. D.

De

FACULTATE
IMAGINATIVA

DISPUTATIO SECUNDA,

Actus ejusdem, quatenus ab intra
saltem, tam de rebus materiæ immerfis quam
eju. expertibus formantur, breviter
representans;

Quam

Ex Ampliss. Facult. Phil. in Reg. Uni-
versitate Aboënsi consensu,

SUB PRÆSIDIO

M. ANDRÆE WANOCII,

Phil. Pract. Prof. Ord. & h. anno

Stip. Inspectoris

Loco speciminis examinandam sistit

MAGNUS JOH. SYLVIVS,

Wermel.

In Auditorio Superiori

Ad d. xxix. Aprilis Anno M. DC. LXXXII.

ABOÆ,

Excusa à JOHANNES L. WALLIO, Reg. Aca-
demie ibid. Typogr.

Pl. Reverendo & Praclarissimo Domino,

MAG. ANDREÆ PETRÆO,
Scientiæ naturalis in Regia Academia
Aboënsi Professori ut meritissimo ita cele-
berrimo; nec non Pastori Gratiaë-Vallensis
vigilantissimo, Patrono, Nutritio & Evergetæ
quovis obsequii cultu æternum vene-
rando.

Pl. Rev. & Clarissimo Domino

M. BENEDICTO CAMÆNIO,
Pastori in Rosten dignissimo, adjacentiumq;
Ecclesiarum Præposito vigilantissimo, Fau-
tori & Promotori quovis honoris cultu
ætatem prosequendo.

Clarissimo Domino

M. MAGNO CAROLINO,
Scholæ Carolstadiensis Rectori celeberrimo,
& Ecclesiæ, quæ in Hammarödn col-
ligitur, Past. attentiss. consanguineo meo
honoratiss. ut olim Præceptor sic nunc
Promotori & Benefact. perpetim colendo.

Reverende & Doctissimo Viro

DN. JOHANNI SYLVIO,
Verbi Divini Ministro in Arvika vigilan-
tissimo, Parenti meo maxime pio, omni
officio filiali ad mortem sincere prosequendo.

INter alia illa dona, quibus Deus
Optimus Maximus creaturam rationa-
lem decoravit, non postremum facultatis
Imaginativæ agnoscimus; quippe quæ tan-
quam regina & iudex, nisi quod sensui etiam
communi hoc competit epiteton, reliquorum
sensuum objecta altius accuratiusq; examinat,
& in ipsis itidem brutis extantes valde nobi-
lesq; producit operationes. Quarum cum hæc
etiam disputatio non modo notet discrimen, li-
cet restricte, sed insuper etiam observet nobili-
tatem, duxi nec studiis meis fore inconveniens
nec ætati, si vel circa eam uterer occasione me-
neret exercendi. Dum vero hæc meditor, oc-
currunt mihi beneficia a Vobis, Domini ac
Promotores optimi, præstita, quæ tanta sunt,
tamq; frequentia, ut si eam acerem impiû quod-
dam facinus me committere judicarem. Hanc
itaq; disputationem Vestris Nominibus inscri-
bere volui, ingenue rogans eam solito vestro
favore dignemini. Est sane munus pertenuæ,
quod solita Vestra in literas benevolentia fre-
tus hæc vice in conspectum do; Sin vero tam a
Vobis comprobari sentiam, quam a me, qui hic
non longe absom ab audacia, animo prorsus of-
ficioso offertur & integro, alia quodq; his forse
majora tentare in posterum non cessabo. Val.

V. V. Pl. Rev. Dignit.

devotissimus cultor

M. SYLVIVS.

Litteris & moribus Ornatissimo Juveni

DN. MAGNO JOH. SYLVIO
De Actibus Phantasiæ

Publicè egregiè differente, Amico ac com-
mensali suo perdilecto.

Magnus eris Magnis, mi SYLVII ma-
xime MAGNE

Actus cum mentis, te didicisse probas,

Honoris, moris & amoris ergo

L: Mq.

M. ANDREAS PETRÆUS,
Phys. Prof. Ord.

*Viro - Juveni laude litterarum ac huma-
nitatis conspicuo,*

DN. MAGNO J. SYLVIO,
Regiæ hujus Universit. civi perindustrio
amico & commilitoni integerrimo, dum
de actibus Imaginativæ disputat;

Natus Hyperionis rosea, quod lampade
lustrat,

Quodq; videt noctu *mensura luna* notho
Lumine, pertingunt sensus, phantasmata for-
mant,

Quæ velut in κύκλον vis rationis agit.

Ardua sunt: animo tamen hæc dum concipi-
pis alto.

Concipiunt *Musa* munera magna Tibi.

Adgratulatus

ANDREAS WANOCMIUS
Ph. Pr. Prof. Ord.

CAP. III.

De actuum Imaginativæ differen-
tiis & speciatim de actibus ejus
naturalibus circa materialia
vel ἐνυλα. §. 1.

Monstratis jam leviter, in illis quæ
ratio instituti jussit antecedere,
definitione, Causis imaginativæ præ-
cipuis subjectoque; ad objectum ejus non
male hic fieret accessus, nisi vel ratio-
nem ipsam id ultro cuique suggerere,
vel ea languente saltem ante notata
existimarem. Notum namque est *ima-*
ginativam, quatenus quidem naturaliter
& ex interno principio operatur, ver-
sari plerumque circa *sensibilia*, eaque vel
qua totum, vel omnino partem appre-
hensa: adeo ut *Objectum* ejus, qua ma-
teriale, breviter & ex facili determi-
nari possit τὸ αἰσθητὸν, sive res quælibet
intra spheram sensuum externorum
quadantenus contenta illisque nonnun-
quam usurpata. Quod autem dicitur
Imaginativam circa sensibilia versari

plerumque, hoc ipso significare fuit animus, illa non esse in totum excludenda quæ minus vel nequidquam de materia participant, notitiisque naturalibus & connatis huic sensui, licet nimis imperfecte repræsentantur. Ad actus itaq; *Imaginative*, qui & causam finalem, eo præsertim omissam, quod hic videtur posse insinuari, non parum involvunt, ex ordinis præscripto descendimus.

§. 2.

Illi vero *Imaginative* actus non unius sunt rationis, cum *cause* eam moventes ad ciendos rerum typos diversimode concurrant: *Supernaturalis* enim sistit imagines *eminenter ad promovendum*; *per accidens nequiter ad destruendum*; *naturalis indifferenter*, loquimur jam *Physice* non *moraliter* ne dum *Theologicæ*, scilicet pro cuiusque temperamento & qualitatibus, *ad conservandum*, ad minimum apparenter; natura enim sui destructionem nunquam intendit. *Illius* actus bonus est, cum Deus qui ipse summe bonus est, mali causa nunquam sit: *Istius* malus, Dia-
bo-

bolo usque in malitia obfirmato ut *ma-*
lignus & sic & audiat, nec amplius bonum
 operari possit; unde supplicamus Matth.
 6: 31. ῥύσαι ἡμᾶς ἀπὸ τῆς πονηρῆς, & 13: 38.
 zizania dicuntur ὑοὶ τῆς πονηρῆς, præposito
 κατὰ Δίξιμον articulo: *hujus* indifferens,
 si non ratione *individui*, tamen *speciei*.

§. 3.

Et quemadmodum tot sunt causæ
Imaginativa, non quidem simul & sem-
 per, sed successive inque diversis subje-
 ctis impellentes, licet naturalis etiam
 possit in quibusdam impressionibus, si
 ium fuerit patiens, subordinari *super-*
naturali, sin vero impium, *causa per acci-*
eus: ita quoque operationes fiunt vel
omine vigilante & *tempore diurno*, vel
ormiente & *nocturno*; ut non sim valde
 plicitus de vicibus vigiliæ & somni im-
 mutatis, cum usitatiores & ordinarias
 sic indigitasse sufficiat; quod etiam in
 sequentibus plenius indicabitur præser-
 tim ubi ex industria actuum illorum
 statatur discrimen.

Ut autem ordini sua constet integritas & ante dictis fides, primum omnium de *actibus Imaginativa naturalibus*, quatenus ab extrinseco non producantur tenemur agere, quo vel eo quodammodo clarum evadat quænam facultatis hujus in omni officii parte sint vires: *illi* vero sunt plures & distinctissimi. Quidam *simplices*, alii *compositi*, quemadmodum data in superioribus definitio indicavit, sed subobscurè & breviter. *Actuum simplicium* potiores sunt: 1. Species sensibilibus suscipere a sensoriis externis mediante sensu Communi; quia ipsæ rerum substantiæ non feruntur in sensoria, quatenus substantiæ, sed ut sunt qualitatibus sensibilibus vestitiæ & rationem formalem objecti sensibilis in se continent. 2. Easdem species in se continere: si enim protinus evanescerent jam non amplius superesset materia formandi phantasmata. 3. Contentas aliquantisper versare & deputare.

4. Eas tandem in naturam phantasmatis, quod in homine fit *objectum intellectus agentis* convertere, juxta illud Aristotelis: *oportet intelligentem speculari phantasmata.* l. 2. de an. t. 30. & 39. Est ergo phantasma vel typus rei beneficio sensuum aliorum perceptæ *Imaginativæ* quasi proles, quam agenti intellectui utilitaretur & deinceps in speciem intelligibilem transformetur, sistit. Unde intellectum agentem similem luci esse asserunt: *quemadmodum enim lux verba sunt Sperlingii, colorem illustrat ut actus videri possit: ita intellectus agens species sensuales alienis conditionibus involutas depurat, ut ab intellectu patiente cognoscantur.*

§. V.

Actus vero Compositi, ita dicti, partim sunt *Elicitivi* quando unum ex altero elicitur; partim *formativi*, quo variorum rerum imagines formantur & in speciem, non per omnia & semper naturæ usitatam, aliquando etiam monstruosam, componuntur. Horum utrumque in bruta quoque animalia ca-

dere certum est, licet modo quodam inferiori quam in hominem, ut jam-jam patebit. Quod autem distinctis terminis hæc actuum rationes proponuntur, fit id vel causa sublevandæ memoriæ vel diversitatis actuum ipsorum.

Actus Imaginativæ elicitivus, ut volunt, est, qui elicit e sensatis non sensata & instar discursus se habet, quo a sensatis, sensu exteriori vel interiori, discurret quasi ad non sensata: sic ovis ex specie lupi sensata, discurret in non sensatum, quod est inimicitia; elicit enim, lupum sibi esse inimicum. Contra vero canis ex plausu manuum elicit amicitiam; accedit enim ad plaudentem sibi manu, tanquam ad amicum. Unde etiam constat *actum elicitivum* non ex se constituere certum quendam sensum specie ab internis distinctum, quod & in cap. 1. §. 1. leviter ostensum; sed ipsius phantasiæ in brutis esse operationem: huic in homine substituunt *cogitativam*, quam pro sensu non satis bene agnoscimus, præsertim cum intellectus sit officium adæquatum cogitare vel differere. §. 6.

§. 6.

Actus autem *formativus* facilioris intellectus causa non male triplex statuitur. 1. *primus* est, species a sensu communi acceptas diutiusque reservatas ad invicem componere; vel quasi partem rei perceptæ aptare ad partem alterius: fitque id tum *in vigilia*, tum *in somno*. *In vigilia* quidem, dum animal, vel potius, ex instituti hujus ratione, homo, componit imagines jam introceptas, non prorsus, si ὁργανὸν sensus fuerit incorruptum, vel saltem minus infirmatum, dissentientes sed quodammodo componibiles: sic verbi gratia, species auri cum specie montis non prorsus absurde componitur; vel, ut exemplum sit domesticum eque re chartacea petitum, species libri cum specie abaci; adeo ut evadat beneficio operantis *Imaginativa* conceptus montis vere aurei, librique in magnitudinem abaci compacti. Quæ quidem compositio eatenus absurda habetur qua talis vel mons vel liber nusquam extitit quoad totum, non vero

tam absurda qua partes componibiles. In somno vero dum homo componit imagines rerum diversarum earumque quæ nullam ad invicem dicunt convenientiam; unde monstrosa interdum nascuntur somnia. De quibus etiam τῶ ἐν πᾶσι volente agendum erit infra.

2. Secundus actus est componere species sensatas cum intentionibus elicitis: estque magis, non præstans, sed quoad exercitium evidens in brutis, quam in homine, cum in hoc dominium, prævalentia & usus facultatis superioris, rationis, hanc formativi actus speciem cum sequenti tertia obscuret videaturque quasi tollere. Per hanc ovis apprehensa specie lupi tanquam nociva, elicit inimicitiam; adeo ut phantasia ejus, nec enim *Imaginativam* brutis nisi valde improprie tribuendam existimo, speciem lupi sensatam cum elicita componat intentione fugit atque eum consequenter ut inimicum: ut hic non tam excludam naturalem illam ἀντιπαθείας vim, qua feruntur adversus invicem, quam præsupponam

nam

nam, dicamque ejusmodi intentionem & quasi umbram ratiocinationis non aliunde quam ab intra ovis dimanare posse. 3. *Tertius* est intentiones cum intentionibus componere; quod etiam patet de ove, quæ agno præbet ubera tanquam proli sibi amicissimæ; alienam autem repellit, tanquam nihil ad se atinentem. Et idem numero canis huic, ut amico, sublanditur, illum, ut inimicum persequitur. Quod maximam partem observavit etiam Zeisoldus in tractatu de anima.

§. 7.

Vel hinc constare existimo, donec insequentibus patebit clarius, quanta sit vis *Imaginativa* in homine, cum bruta, per *Phantasiam* tam nobiles edant operationes, ut præter modo memoratas, alias etiã producant illis potiores, de quibus ratione prorsus carere non videntur, præsertim rudioribus. Habet *Scaliger* de docilitate Equi, quod *Agryta* quidam pusillum circumducebat equum, qui jussu ejus, aut etiam solo interdum

nutu omnia fecit, potuitque ambulare,
succussim properare, currere, saltare
vel quadrupes vel bipes. Vinum bibere
vidimus inclunibus sedentem: antero-
res pedes ad pateram ferre. Pelvim
cruribus sustinere, quasi a tonsore lava-
retur. Quæ & his plura in Exercitat. 209.
S. 1. 2. & 138. 240. fere ad admirationem
 proponuntur. Notum etiam est, licet
 silentium præstent Doctores, posse ci-
 curari lupum, ut habitet cum ovibus,
 vulpem, ut cum gallinis, lepores iti-
 dem ut alantur inter venaticos; qui o-
 mnes videntur naturalem inclinatio-
 nem, vel ut vocant ὄρμην, quasi poten-
 tia quadam superiori compescere, quo-
 minus id quod maxime est natura in-
 ditum exequatur.

§. 8.

Atque nobilissimis ejusmodi bruto-
 rum operationibus, quarum fons est
 phantasia, permoti plures, opinati fue-
 runt brutis deberi rationem: quæ ta-
 men illis minime tribuenda erit. Du-
 plex

plex enim est *docilitas*; αἰσθητικὴ ἔσ' λογιστικὴ. Illa, nempe *sensualis*, competit etiam irrationalibus: hæc, *rationalis*, minime. Illa huic est ἀνάλογος, nec talis vel tantæ perfectionis, quantæ est *docilitas* apud homines. Patet etiam hæc analogia exinde, quod in jumentis & feris *phantasia* dux est, eoque fungitur officio, quo *mens* sive *ratio* in hominibus. Huc pertinet, quod legitur 2. Phys. c. 8. t. 80. *jumenta* ἔσ' *feras* *instigante natura* (& *ducente phantasia*) *ea efficere opera qua mente facta videntur*. Vel ut ipse habet textus: διὸ ἀπορροσίου τινες ποτερον νῶ, ἢ τίνι ἄλλω ἐργάζονται: κτλ. Quod vero hæc de operationibus irrationalium per solam *phantasiam* produci suetis, *Imaginativæ*, quæ hominis est, fere justo prolixius assuuntur, fit propter eam quam cum illa habent affinitatem.

§. 9.

Ut ergo breviter *Imaginativæ* ejusq; actuum in homine præstantia necessitasque adumbretur, primum erit dicendum non dari cognitionem *singula-*
rium

rium eorumque materialium ullam, nisi adfuerit præstetque officium domina hæc sensuum & quasi apex: dixi materialium, quia cognitionis primordia ducuntur a sensibilibus seu immeris materiæ. Hæc enim species de se diffundunt & in organa sensuum exteriorum omnium transmittunt, quod de singulis illorum probare non esset difficile. Interim tamen pertinaciter contendendum non est, perpetuo species nudas, nunquam res ipsas sentiri, cum id vel ipsi sensus, etiam cessante loquela, confutare valeant. At illa specierum sensibilibus ad externos intromissio cognitionem per se conferre nequit, nisi vicissim deferantur ad sensum, ut vocant, *Communem*, qui ab externis illis, velut ministris fidelibus, sigillatim visa, audita, odorata, gustata & tacta accipit & pro ratione facultatis iudicat. Atque hic est primus ille rerum censor, qui suam de quolibet præmittit sententiam.

§. 10.

Sed insufficientis esset illa cognitio, quam ejusmodi *reioris* sola exhiberet, nec bene potis quæ vel irrationalium desiderium expleret: idcirco prospexit natura, mater illa rerum satis provida, ut deferrentur diu nominatæ rerum imagines, prout ex paragrapho cap. hujus 4, quadantenus innotuit, ad *Imaginativam*, quo examen subeant adhuc exactius aliarumque novarum accessu fiant illustriores vel copiosiores saltem. Hinc demum *intellectui agentis* offeruntur, qui ex officii præscripto, e specie sensibili format intelligibilem, proceditque juxta factam sibi ab Imaginativa representationem, adeo ut demum evadant similes. *Ut sutor, demonstrat Sperlingius, juxta ideam calcei calceum fabricat: ut architectus ex effigie domus domum efficit: ita intellectus agens ex idolo phantastico speciem intelligibilem producit. Non tanquam ex materia, sed ut ex idea & exemplari.* Describit insuper speciem ab Imaginativa traditam *agenti intel-*

Intellectui, & in intelligibilem formatam, hoc modo: species intelligibilis est qualitas spiritualis, e phantasmate producta, opera intellectus agentis, & a patiente recepta, res ipsas animæ representans. Nec est quod existimet quisquam cognitionem posse sine ipsius Imaginativæ adminiculo fieri, scilicet sensu Communi species ad intellectum agentem immediate deferente: cum illa, quæ sensus Communis est facultas, eo usque se non extendat, volente scilicet natura ut cuique potentiarum sui sint limites quas transilire non sit concessum. Manet ergo singularia nisi interventu Imaginativæ cognosci non posse.

§. II.

Sed nec universalium potest esse scientia nisi necessariam valde conferat operam domina hæc sensuum; quippe quæ in ipsis fundatur singularibus, nec esse aliquid abjunctum ab illis habent. Sic homo non est aliquid extra Petrum, Paulum, Iohannem &c. ita scilicet ut sit aliquid loco avulsam & distans ab ipsis individuis. Neque enim quenquam
ratio-

ratione vel mediocriter saltem utentem illo imbutum errore arbitror, quo *Eustatium* & *Simplicium* fuisse passim referunt Metaphysici, quemque obtrudere Platoni pergit *Aristoteles* libris 1. & 7. Metaph. dum per *ideas* illum vult indigitasse res a singularibus abjunctas, quæ tamen habeant essentiam multiplicabilem in species vel individua. Rationem autem qua dicunt Platonem motum esse ad hanc sententiam, dant hanc, quod scientiæ sint de rebus sempiternis: sed hoc non esse verum de singularibus, quod sint sempiterna, quia cum omni quod habent, præter animam in homine sint, corruptibilia: dandum ergo esse aliquid a singularibus abjunctum, quod ipsum sit initii & finis expers. Quicquid hujus rei sit, obtendant Platoni quod lubet, sunt tamen qui prolixè illum excusant, aliud eum per *ideas* intendisse dicentes, quæ etiam excusandi ratio non prorsus videtur esse absimilis. At ulterius universalium examen hujus loci non est: suffi-

sufficit ergo novisse quod non sit cognitio *universalium* sublatis ita *singularibus* ut nunquam vel fueriat, vel sint, vel possint esse.

§ 12.

Nec multi est laboris illam diluere objectionem quæ hic de officio *sensuum* circa *singularia* *intellectus*que circa *universalia* posset inverti, quæque gratia majoris lucis hoc etiam modo potest ob oculos poni: Si *sensus* sunt *singularium*, *intellectus* vero *universalium*, utique non versa vice *universalia* sunt *sensuum*, nec consequenter *Imaginativa*, *singularia* vero *intellectus*: At verum prius ex Aristotele aliisque Philosophis fere probatissimis, E. verum & posterius. Illatio est bimembris, partim agens de *sensuum*, partim *intellectus* officio: quoad hunc dicimus intellectum versari circa *universalia*, non *exclusive*, sed *inclusive*, quatenus non sola format & scrutatur *universalia*, sed ipsa etiam comprehendit concluditque *singularia*. Quoad illos, dicimus quidem *sensus* esse

singula

singularium exclusive quatenus ipsa universalia non valent pertingere: quod tamen caute satis & parce est accipiendum. Licet enim *sensus universalia* non judicent, conferunt tamen ad eorum formationem, præsertim *Imaginativa*: idq; si non *Consequenter*, *ultimate* & *perfective*, tamen *antecedenter*, *exhibitive* & *necessario*. Nihil enim est in intellectu quod non prius fuerit in sensu & ipsa etiam *Imaginativa*, illis scilicet, quæ naturalium noticiarum beneficio & ab intra nobis innotescunt, probe exceptis. Inde quoq; est quod *intellectus obiectum primitatis* dicantur esse *singularia sensibilia*: *singularia* quidem, quia his cognitis demum formantur universalia: *sensibilia* vero de illa, quam modo diximus, ratione, nempe quia nihil est in intellectu quin prius fuerit in sensu. Quæ omnia si ad propositionem minorem aptantur, jam non amplius cogit syllogismus.

§. 13.

Licet ergo ex his colligere *Imaginati-*

D

va

va præstantiam in rebus naturalibus
 esse non modo magnam, sed actus et-
 iam ejus ad omnem cognitionem valde
 necessarios: imo nullam esse prorsus sci-
 entiam, illam quæ acquiritur, sine *Ima-*
nativa exinde evincitur, quia scientia
 est aut universalium aut singularium
 aut utrorumque; quicquid enim neu-
 trum horum erit, erit plane non ens,
 cujus nullæ affectiones, nulla scientia:
 si vero illud, utiq; beneficio quoq; fit
Imaginativa, cum nec universalia nec
 singularia sine ea, ut paruit, perfecte
 haberi possint. Res scilicet omnes,
 quæcunq; sunt cognoscibiles per actus
Imaginativa sistuntur intellectui, si-
 ve actus illi sint *Compositi*, iique vel *elicitivi*,
 qui in homine utpote particeps ratio-
 nis ejusdem usu luceq; maximam par-
 tem quasi obnubilantur; vel *formativi*:
 si-ve *simplices*, quibus imprimis ac neces-
 sario utitur ratio, idq; quoad omnes
 illas partes quas §. 4. hujusce capituli
 supra recensuit. Tantum de actibus
Imaginativa vulgarioribus & circa co-
 gnitio-

gnitionem rerum omnium materialium, quo demumcunq; modo & schemate ad intellectus censuram accedunt, usitatis: sed quatenus fiunt *in vigilia*.

CAP. IV.

De actibus Imaginativæ naturalibus minus usitatis circa materiæ expertia.

§. I.

Etiam si valde sint præstantes illi *Imaginativa* actus nobilesq;, quas hætenus perfunctorie saltem attigimus, adeo ut magnam illorum etiam nomine apud quemlibet, qui bene modo ea novit uti, mereatur laudem: cum tamen latius adhuc videatur explicare potentiam, minus erit inconveniens, si vires *ejus*, quantum in hac brevitate licet, ad extremum usque experiamur; cumq; constet ex antecedaneis *sensum hunc* in aliis esse quasi culmen, ultra quod in illo ordine non liceat progredi esseq; in rerum materialium cogni-

tionem instar lapidis fere Lydii; num in illorum etiam investigatione aliquid proficiat, quæ materia carent, videre non est alienum. Talis est Optimus Maximus Deus & natura spiritualis. Atq; huc collimant verba capituli antecedentis §. 1. quæ notitias ingenitas Imaginativæ aliquid repræsentare, præter externorum sensuum interventum dixerunt: Nec non illa, quam de notitiarum naturalium significatione capituli ejusdem §. 2. exhibuit, cautela.

§. 2.

Ut vero omnem illis, qui rem in se tanam probatamq; lubedine nescio quâ, detroquere gestiunt, ansam præcidamus interpretandi utcumq; consulto quoddam præmittimus quasi antemurante, quod & conceptus hosce nostros reddet planiores aususq;, si qui fuerint in nos iniquiorum, compescet: idque præsertim eo, ne dum *Imaginativam* dicimus circa id versari, licet valde imperfecte, quod Divinum est, nobis erro-

errorem affricent & insaniam *Audaei* gente ac lingua Syri, a quo Hæretici *Audaani*, vel *Anthropomorpha* originem trahunt: qui vixit sub Imperatore Valentiniano novorumq; dogmatum extitit repertor, incogitanter ex sinistro scribens intellectu verborum: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, humanam formam Deo tribuendam, illumque corporeis membris inclusum esse. Theodoret. lib. 4. c. 10. Est enim ex revelatione plus quam notissimum, Deum, ut essentiam spirituales, simplicissimam, sensibus corporeis non esse perceptibilem, non tactilem, sed invisibilem. Joh. 4. 24. Luc. 24. 39. Coloss. 1. 15. Primum ergo ad dilucidandam rem dico Deum esse objectum *Imaginativa* non directe, per se & immediate, ut res illæ juxta qualitatibus sensibilibus sunt prælitæ: quales sunt, color & lux, sonus, sapor, odor, & qualitates tactiles, quantitas, figura, numerus, motus & quies, quarum hæc vocantur communes & a duobus aut pluribus sensibus advertuntur:

illa vero propriæ, & ab uno sensu cognoscuntur: sic res colorata *per se, directe & immediate*, non excludendo speciem sensibilem quidem median-tem, sed loquendo comparative ad mediationem apertio-rem vel remotiorem, in sensu est cum visum afficit: sed objectum est *Imaginativa per aliud, indirecte & mediate*, scilicet per Majestatis suæ opera, per speciosum hoc mundi theatrum, quod & sapienter construxit & instruxit plusquam liberaliter. Qua de re expresse verba Apostoli Rom. 1. 19. 20. loquuntur: διότι τὸ γνω-
σον τῆ θεῶ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, ὁ γὰρ θεὸς αὐτοῖς ἐφανερώσε. Τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτῶ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τῆς ποιήσεως νοούμενα καταρᾶται, ἢ δὲ αἰδῶς αὐτῶ δύναμις καὶ θεϊότης. Atq; hinc jam claret quomodo accipienda sint omnia illa, quibus toties inculcatum ivimus supra, nihil movere *Imaginativam* quod prius non moverit sensus externos, scilicet esse tunc sermonem de iis, quæ *per se, directe & immediate* sunt in sensibus vel *imaginativa,*

non de eo quod per aliud, indirecte & mediate.

§. 3.

Dico deinde Deum esse objectum Imaginativæ quatenus *νοησιμὸς* cum cuiq; suggerit, nō quidem qualis est quoad omnia attributa, sed quod omnino sit: ut gratis infumere operam in Aristotele Palroneque refutandis non sit necesse: illo quidem statuente intellectum esse instar tabulæ rasæ, in qua nihil sit scriptum, omnia tamen νοητὰ scribi possint, quemadmodum docet lib. 3. de anima c. 4. ὡς περ ἐν γραμματείῳ ὃ μὴδὲν ὑπάρχει ἐντελεχεία γεγραμμένον ὅπερ συμβαίνει ἐπὶ τῆς ψῆς: hoc vero dicente plus iusto, mentem nostram esse similem tabulæ exaratae, in qua inde ab utero materno omnia sint inscripta, sed nascentibus propinari poculum Lethes, unde oblivio omnium notitiarum oboriatur, quas discere sit recordari & reminiscendo cognoscere. Plato in Philebo. Notum itaque est tam ex testimoniis divinis Rom. i. v.

18. 19. Rom. 2. 15. quam propriae eiusque conscientiae ἐκτονώμασι Deum natura quoad existentiam esse cognoscibilem. Testatur hoc satis magnam illud eloquii Romani decus, quamvis ab intimiori eius cognitione se fateatur alienum, scribens lib. 1. de Deor. nat. pagina ut quaedam exemplaria habent 183. *Concedo esse Deos, doce me igitur, unde sint, ubi sint, quales sint corpore, animo, vita. Hac enim scire desidero.* Paulo ante citaverat exemplum Simonidis, qui ab Hierone tyranno rogatus, *quid aut qualis sit Deus?* Post deliberandi spatium iterum atque iterum exoratum, tandem hujus causam exposuit hisce verbis: *Quanto diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior.* Numinis divini ergo cognitio nec latuit gentiliura perversorum mentes, sed illa, *vel nulla, vel imperfecta, vel languida fuit, juxta B. Chemnitium, in comparatione scilicet ad notitiam Dei revelatam, salutiferam.* Absit ergo etiam a Theologo, *missam facere cognitionem de*
 Deo

Deo ex lumine rationis haustam, cum illa sit prasupponenda tanquam in inferioribus disciplinis tractata & demonstrata; tantum ex propriis sibiq; peculiaribus principiis, nimirum divinis literis, ea persequatur, quæ alioquin ingenio humano incognita forent & impervia. Epitom. D. Galixti de Deo.

S. 4.

Quomodo vero notitia illa ἐμφύτος essentiam divinam Imaginativæ sistat, res est non adeo proluxæ vel operosæ indaginis cognoscere: dictum namque erat in disputatione antegressa pagina 19. terminum *Imaginativa* in eam etiam redire angustiam, ut solius facultatis rationalis dicatur esse. Quod autem hoc ita sit, vel exinde cõstat quia datur etiam *memoria*, quæ soli intellectui est alligata, diciturque *Intellectiva* respectu *sensitiva*, quæ homini communis est cum brutis, estque nihil aliud quam promptuarium specierum sensibilium: illa vero, *intellectiva*, solius est hominis & thesaurus specierum intelligibilium: jam, si datur *memoria* rationi post ipsam etiam ad-

hærens *διάλυσις*, quæ, ut loquitur *Sperlingius*, vir sui ordinis nequaquam postremus, potis est recordari eorum quæ in vita gessit, quidni etiam *Imaginativa* cujus illa est quasi promptuarium: idque tanto certius quanto studiosius *memoriam* & *imaginativam* amant conjungere. Non quidem quasi ab intellectu tanquam nova facultas differat, loquimur jam de illa quæ est *imaginativa intellectualis*, sed sit ipse species & formans & servans intellectus: unde habitus quos vocamus *intellectuales* in ipso hære in intellectu statuit *Sperlingius*. Constat insuper: *imaginativam intellectivam* omnino dari ex objecto, speciebus scilicet: hos enim non modo dicimus esse sensibiles, quas *Imaginativa* versat *sensitiva*, sed & *intelligibiles* quas *intellectivam* versare est necesse.

§. 5.

Consequitur jam ex his, Deum duplici ratione sisti *Imaginativa*, nempe per Majestatis suæ opera illi quæ vocatur *sensitiva*, per notitias vero ingenitas *intellectiva*, ut hic non acriter cum quo-
piam

piam contendam, num typi illi, quos intellectus suggerentibus principiis naturæ insitis de Deo exprimit, ad *sensitivam* etiam modo retrogrado possint deferri? multo vero minus num eadem species possint esse objectum imaginativæ ut ut intellectivæ, cum notum sit species intelligibiles formari ab intellectu agente & fieri patientis objectum; vel clarius, num una eademque res possit esse plurium una facultatum vel potentiarum objectum? Notum enim est rem unam eandemque, exempli gratia, eam quæ est *quanta* esse commune objectum sensus non unius sed plurium, *visus* scilicet & *tactus*, aliorumve, licet non semper & per omnia. Præterquam quod dispar est ratio speciei vel imaginis ab *imaginativa*, ut sensu interno, traditæ *intellectui agenti*, quo transformetur a sensibili in intelligibilem fiatque objectum patientis; & speciei quæ ab ipsa *imaginativa intellectiva*, ut reapse cum intellectu eadem formatur: *ibi* enim ab una potentia ad aliam superiorem trans-

mit-

mittitur, hic vero in una eademque versatur facultate, quamvis diversimode. Hinc prior ille modus, quo Deus *imaginativa* sistitur, non male vocatur *objectivus & cressior*, cum γνοςὶν τῷ Θεῷ expressius per illum repræsentetur: posterior vero *Subjectivus & subtilior*, non quod omnibus non insit, sed quod modo quodam tenuiori significat.

§. 6.

His addi potest, quin omnino debet, modus adhuc tertius memoratis etiam solemnior, quo Deus ejusque natura sensibus primum externis, *visui vel auditui*, aut horum utrique, demum *Imaginativæ* repræsentatur: non quidem *immediate, per se & directe*, quod superius explosum, sed *itidem mediate, per aliud & indirecte*, per literam revelationis & traditionis ἀποκάλυψιν; scilicet quatenus visa vel audita hac vel illa propositione Divinam naturam exponente, species introceptæ perveniunt ad *Imaginativam* ibique pro qualitate subjecti recipientis & componentis for-

mantur varie. Nec est ut quisquam tantæ nos esse simplicitatis existimet ut Deum Opt. Max. vel hisce modis posse comprehendi aut putemus ipsi, aut persuadere conemur aliis, cum pium quemcumq; ex ipsa fere infantia sic institutum arbitramur, ut *sanctissimam Divinam essentiam* credat ἀκατάληπτον; sed proponi valde imperfeçte, inadequate & ὡς ἐν αἰσίγματι, idq; non impiis, atheis & barbaris, qui profus monstrose Deum concipiunt, sed piis, iisque per revelationem admonitis, ut mox patebit uberius.

§. 7.

Nec sane aliunde Gentilium totu monstrosa de Deo somnia, ut illorum tam a recensu pia mens abhorreat, quam propter multitudinem & varietatem fere sit impar, nisi partim per mirabilem operum excellentiam, partim notitiam ingenitam, maxime vero traditionem esse credimus. Nam tametsi omnes nationes, verba sunt Natalis Comitæ in Mythologia, Deos esse crediderunt, nullaq; fuerunt tam fere gentes.

ut insulsissimorum hominum qui se sapientes dicere ausi sunt, opiniones taceam, quæ hunc mundum aut fortuito genitum existimarint, aut sine aliqua incredibili providentia gubernari, cum sit e tam variis rebus tam concinno ordine coagmentatus: tamen pauca fuerunt, quæ Deos introducere ausa sint, nisi ab aliis acceptos. Cum enim suos Magos haberent Persæ, Prophetas Ægyptii, Chaldæos Assyrii, aliosq; sacerdotes aliis nominibus vocatos aliæ nationes, omnium prope religionum origo ab Ægyptiis in Græciam & in Persas prius, deinde ad alias nationes manasse credita est. Quamvis omnes isti uno ordine falluntur, quod, ut dicit Natalis Comes, ante Ægyptios primi omnium mortalium Hebræi non solum religionem sed etiam verum DEI cultum acceperunt; & non humanis consiliis, sed divinis præceptis fuerunt instituti. Quod quidem omne facit ad adstruendum id, quod per traditionem quam maxime invaluerint apud varias gentes variæ de DEO imagines conceptusque,

§. 3.

Quam deformis autem fuerit *Imaginativa* Ethnicorum & a seipsa plerumque discedens in formandis de DEO notionibus ejusque tam in mente quam extra simulachris, scripta quorumvis abunde testantur quælibet; licet in hoc unum omnium prope populorum ac gentium sententiæ primum convenierint, ut divina illa quæ videntur, superna corpora, solem, lunam reliquaque astra cum perpetuo motu agitari conspicerent, ab ea celeritate & DEOS appellaverint & esse crediderint, ut testatur Plato in Cratylo. Neque ulla fere gens inventa est, testatur Natalis Comes in lib. Mythol. 1. quæ aliud esse DEOS quam ipsa cælestia corpora primum crediderit. Hanc opinionem secutus videtur Homerus, cum solem omnia audire omniaque videre inquit, quod est, ut ait Plato lib. secundo de Leg. solius DEI munus: ita vero se habet Homeri carmen:

Ἡέλιος ὅς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακχέει.
Sol qui cuncta audis, quiq; omnia conspicias unius.

Quin vero Ægyptii præter hæc imaginati sunt sibi, quod dictu horrendum, quædam monstra & animalia partim hominibus infensa partim utilia, ut canes, boves, angvillas, esse Deos, ut ait Herodotus in Euterpe & Melpomene: Strabo libro 17. Geographiæ aliique. Qua de re videri potest Natalis Comitibus Mythologiæ lib. 1. Huc etiam faciunt omnes omnium populorum factæ de Deo imaginationes, sive per res *mutas & inanimatas*, utpote auri argentine sculpturas, *καράγματα τέχνης καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπων* Act. 17. 29. sive *animatas expressæ*; *easque vel irrationales*, ut modo innouit, *vel rationales*, seu *vita defunctas*, quarum vocatur ἀποθέωσις; seu *vita gaudentes*: ita illi in Lystris errore *imaginativa* abrepti putarunt Paulum & Barnabam Deos, dicentes: οἱ θεοὶ ὁμοιωθέντες ἀνθρώποις, κατέβησαν πρὸς ἡμᾶς. Act. 14. 10.

PLuribus optarem mentis tibi prodero
sensus,

Postulat id veteris foedus amicitiae:
Districtus quoniam sum multis undi-
que curis,

Profero vota tamen, quæ mea Musa
valet

Altitonans studiis cæptisque tuis bene-
dicat,

Floreat ut patria hinc, plus superad-
do nihil.

*Purioris Affectus contestandi causa
currenti calamo subscripsit*

A. HELLIHIUS.

MAGNUS JOHANNIS SYLVIUS,
WERMELANDUS.

Per anagr. excluso H.

MUS MAGNUS IN SYLVA, IS NON
VERE LAUDIS

I*nfelix litat is studiis qui commode
multa,*

*In Sylvis vivens, sperat & in
tenebris*

Non

Non sumus hic nati nobis: nam postulat ori-
tum

Nunc Patrialimen: noster Amicus idem;
Quid juvat in studiis quae Pagina tecta late-
bit?

Utile & nullis ingeniosa cohors
Qua lates in tenebris: umbram nam tangia
opacam

Sic tibi visq; aliis provenit ullus honos,
Sylvius hic melior, nam non sylvestria curat

Prata, sed associat assiduum animam
Musis: ingenii vires sub Praeside Claro
In Cathedra Abogica tentat & egregie:
Sylvestres spernit mures sic Sylvius arte
Qui sophia studio sedulus aptus erat:
Gratus erit quondam Patria sic Sylvius; am-
plis
Vermia te dignum censeat officium!

Simplex hoc anagramma in
honorem sympatriotæ & A-
mici sui sincerè dilecti, gra-
tulabundus licet festinus
scripsit

PETRUS S. JOGELBERG.

Nunc scandis Cathedram Sylvi sic
sympatriota

Ingenii monstrans foenora grata tui.
Differis en Physicè pandens molimina
sensus

Et Phantasiam munia quanta manent.
Gratulor ergo tuis studiis, Deus ipse Je-
hova

Añuet his cæptis ore animoq; precor!

*In sinceri amoris tesseram hisce pau-
cis Dn. respondenti gratulabatur*

MAGNUS KUNQWIST.

Qui cum laude cupit studiis clarescere
quondam,

Nanquam consistat cursibus in mediis.

Devoret omnia mox, primo qua limine turbat.

Paupertatis onus: cetera, qua taceo.

Sylvius hac servat, subsellia Academica scandēs

Ausibus egregiis; omnia quaę fremunt

Tollere nunc satagit; profint tentamino prima!

Et benè succedant! præmia digna feras!

Hæc breviter gratulantium vo-
tis interposuit

SVENO PAGANDER.

Aliud:

Euge Præceptor bone MAGN
quippe
Es magister proximus ut mihi que
Sic meo fratri fueras fidelis
Optimus inquam.

Discipulo tuo

JOHANNI PETRÆO.

O Mine fausto,
Præsides celsos
Optime Sylvi,
Ecce cathedram
Scandis! abinde
Laus tibi semper
Estque manetque
Obvius ergo
Sit tibi summus
Gradus honoris!

Quod sincerè optat Præ-
ceptoris suo

ÆSCHILLUS AND. PETRÆUS,

